..., Palat. Minsc.
Miczyński Seb: Oratio in
funere Illustr. ac Magn. Dni
Christophori Pacz, Palatinidac
minscensis.
Vilnae Joan. Karcan. 1611.

ORATIO SEBASTIANI MICZYNSKI ARTIUM ET PHILOSOPHIÆ BACCALAUREI Almæ Academiæ Cracouien.

IN FUNERE

ILLUSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI

CHRISTOPHORI PACZ, PALATInidæ Minſcen. &c, &c. Nobiliſsimi, & Clariſsimi adoleſcentis, diſcipuli ſui ſuauiſsimi.

VILNÆ Pridie Non. Januar. M. DC. XI.

In Officina Ioannis Karcani.

Transſiuerunt dies mei ſicut naues poma portantes.

Quiſquis es ne me inſelicem puta.

Beatus ille quem iuuentæ in limine
Abſtrahit à vitÿs ipſe, et ſibi adſtringit Deus.

Natus XVII. Calend. Octobr. M. D. XC. III.

Moritur. XIII. Calend. Nouembr. M. DC. X.

ORATIO.

SVpremum tibi, ſuauiſsime Chriſtophore, in hoc acerbiſsimo ſpectaculo, Dei præpotentis voluntate, & ineuitabili humanæ conditionis neceſsitate, nobis conſtituto, officium præſtiturus, quid faciam? quò me vertam? neſcio. Virtus tua ſingularis, amor, & pietas in me incredibilis, multa, & magna merentur. atqui, vt Vlyſſes apud Alcinoum nihil habet, quod rependat pro ingentibus meritis, præter vota, & grates: ita ego quem cætera deſtituunt, præter munera hæc mẽtis, atq; egregium celebrandi, ac prædicandi tui ſtudium. Verùm hoc ipſum quî præſtem? Quicquid damnaturi me Stoici noſtri ſint, ingenuè fateor, doleo: nec apud me ſatis eſſe videor. Ægritudine obſtupefactus eſt animus meus: oculi lacrymando defeſsi:

Claudicat ingenium, delirat linguaq́, mensq́;

cùm te iacentem intueor, qui me iacentem erigere: exanimem, qui exanimato aliquo caſu mihi animum addere ſolebas. Et ſanè vnius mei iſte luctus eſt? Communis patriæ, & tuorum. Scilicet, cùm eius quod amiſſum eſt excellentia perſpicitur, copioſus dolor ex illius amiſsione percipitur. Eheu tu Chriſtophore ſuauiſsime, qui genio, ingenio, virtute, & doctrina facilè eminebas, omniumq́ animos ad magnam ſpem erigebas, in ipſo æui flore, acerba, & immatura morte, patriæ, tuis, & mihi ſublatus es. Luget itaq; patria, quia alumno à quo præſidium grande,

& lumen iam iam expectabat, orbata est: lugent tui, quia germine, & propagine suæ vetustissimæ, ac nobilissimæ stirpis sunt priuati: lugeo ego, quia solatium, & verè dicam, dimidium vitæ meæ, quo neminem ego: nemo me vnquam fideliùs amauit, amisi. Heus mi Christophore quis mihi post te alter? Nemo. non magis quàm ante te quisquam talis fuit. Beatum quidem te extra omne discrimen, & extra molestias; ego certè experior, quàm durum sit suauissima illa tua consuetudine priuari, quàm acerbum, & funestum, corpus tuum exangue intueri. Cæterùm quoniam conqueri mollicia est; reluctari diuinæ prouidentiæ decreto insania: connitar quantùm potero, & omnem difficultatem pietate superare conabor, leuationemque huius doloris ex virtutibus, & laudibus tuis, grata commemoratione renouandis, disquiram. Non dissimulo Auditores nobilissimi, & doctissimi, verus mihi in eum affectus: hæret mihi in arcano isto penetrali; hic nimirum est virtutis, & doctrinæ fœtus. tamen fuco verborum nemini imponam, nec ipse morum. Candidus fuit, & bonis bene natus in re bona: ego rem, vt est, candidè dicam. Fauete qui auditis, & breue, sed fidum elogium censete.

Ingredior, & comprimis genus Christophori mei, Auditores nobilissimi, intueor. Non enim mihi placet vulgaris, & abiecta opinio quorundam, existimantium generis nobilitatem nihil homini ad futuram successionem conferre; neque latentia quædam principia, & semina virtutis, in productione liberis communicari. Egregia, & insignis est, ait Euripides, inter homines nota, nobili stirpe nasci. Siccine aurum quæuis terra gignit?

Fortes

Fortes creantur fortibus.

ait Lyricorum præſtantiſsimus. Bene & Philoſophorum columen: Par eſt meliores eſſe eos, qui ex melioribus. Etenim ita ferè naturâ comparatum eſt, vt qua in familia multi præclari virtuteq́, & rerum geſtarum gloria inſignes viri floruerint, ex eadem qui ſunt, eorum veſtigia cupidiſsimè perſequantur. Sic res eſt,ſic Auditores, & Chriſtophorus noſter natus Ioanne Pacio Palatino Minſcen. & Sophia Viſzniouecia, antiquiſsima, & celeberrima vtraq; ſtirpe,nobiliſsimus eſt.In vtraq; ſi ſpectemus ad capita principum virorum, liberalium, magnanimorum, fortiſsimorum perpaucæ gentes cum vtraq; ſunt comparandæ. Fulgent minutiora per noctem aſtra; & Bootes ad Solis radios hebet, & Lucifer. atqui gens Paciorum, & Viſzniouecciorum,vtraq; antiqua, vtraque potens ſplendet inter primas

- Velut inter ignes
Luna minores.

Et mehercle quotuſquiſq; doctiorum id neget? Legimus, & vidimus ex vtraq; tanquam ex equo Troiano prodiiſſe Illuſtres heroas, fortiſsimos Hercules, prudentiſsimos Neſtores,vigilantiſsimos Iaſones,religioſiſsimos Numas, & breuiter robuſtiſsimos Atlantes qui religionem, & patriam,humeris ſuis ſuſtinuerint. Pleni ſunt libri, plenæ illorum exemplis,omnium voces, quid ego percenſeam? Illuſtrem ſaltem & longiori vita, niſi fata nobis inuidiſſent, digniorem, Ioannem Pacium patrem Chriſtophori noſtri ante oculos breuiuſculè ponamus, quis eo religioſior?

sior? quis fortior? quis virtutis amantior? quis eloquentior? quis laboris tolerantior? Quicquid temporis à publicis negocijs vacui habuit, ad studia contulit, & doctrinam.

- animusq; vicissim

Aut curam impendit populis, aut otia Musis.

Nota vobis omnibus eius probitas, nota fides, nota constantia, nota prudentia in bello, & pace, quæ veluti lumen quoddam lucidissimum in eo eluxêre. Hinc ob suas amabiles dotes Serenissimo Regi, magnis, & principibus viris mirificè carus fuit. addo etiam Sanctissimo Pontifici Romano Clementi VIII. Hic quippe eum anno lustrali Romam venientem cum honore excepit: hærentem cum amore habuit: abeuntem cum dolore dimisit. Quid amorem eius in patriam? Nonnè vidistis? omnes neruos, omnem industriam, omnem diligentiam, omnes conatus, & vires ad salutem, & ornamentum eius appulit. Testes appello honores amplissima virtutis eius, & meritorũ præmia. Quid eum in numerum vigilantissimi Senatus cooptauit? virtus, & merita. Pertransiuit ædem virtutis, in æde honoris stetit. In hac edita dignitatis specula collocatus quid egit? Tanquam centoculus Argus omnem Reipublicæ stabilitatem, & splendorem prouidebat. Videre istud fuit cùm aliàs sæpe; tùm, vel maximè turbulentissimis illis temporibus. cùm hominum quorundam maioris animi quàm consilij publica salus, vno velut filo appenderetur, & Respublica varijs iactata ventis ceu nauis in mari premeretur. Nullum ille tunc casum pro dignitate, & libertate eius non subiuit, vt iam penè aquis

motuum

motuum ciuilium obrutam, & consilio, & prudentia confirmaret. Nostis optimè, quis, qualis, & quantus ille vir fuerit, ego sileo. plura dicere in re tam nota superuacaneum est, temporis angustiæ prohibent, Christophorus meus cùm proprijs abundet laudibus, aliena conquirere, alienum censet. Siccine? Illustrissima videlicet gente natus, magnum & ipse cumulum lucis, non obstante quicquam tenera ætate, maioribus suis addidit. Res vobis Auditores anceps videtur? ego adeò supra rem nihil adstruo, vt pro re non dicam. Noui ipsius probitatem; ita mecum piè, modestè, industriè, laudabiliter vixit, vt affectum sui apud me æternum, alijs bonam famam, & exemplum reliquerit. An ille è vulgo adolescentium? Minimè: sed de quo illud verè potest:

- *Effictus ex Joue ramus.*

Etenim, & robore viribusq; mirum in modum excelluit, & ea fuit non oris modo, ac vultus; sed totius corporis pulchritudine, & dignitate, vt ex ipso aspectu, imago quædam ingenitæ virtutis, & honestatis emicaret. Et ob rem eam omnia in eo iucunda, omnia suauia: nimirum

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Sed quod cardo rei est, splendidissimè natum diligens, accurata, & liberalis excepit educatio. Cæcus plerumq;, & imprudens solet esse amor parentum in liberos. infantiam quippe, & pueritiam statim delicijs soluunt: auro, argento, purpurâ, preciosis vestibus molliunt: habenas, & omnium rerum intolerandam laxant licentiam: demum ingenia optima nata deprauant; adeò, vt postquam adoleuerint

leuerint, ne si voluerint quidem, hasce delicias prorsus exuere posſint. Magna vis eſt conſuetudinis, nec facilè cum inhæſerit, extirpari poteſt; ſed quaſi in naturam abit. Nihil eiuſmodi, nihil Auditores, in meo fuit Chriſtophoro.

Fas mihi clarorum veniâ dixiſſe parentum.

qua in re ſibi vnquam illi ſunt blanditi? Profectò eius eſt felix, & excellens

- indoles

Nutrita fauſtis ſub penetralibus.

Mores cum nutricis lacte optimos bibit. nil dictu fœdum, viſuq; hæc limina tetigit, intra quæ puer fuit.

Maxima debetur puero reuerentia.

Non immoror. Lycurgi educatio, Perſarum illi educatio. Non enim in delicato, ſed ſimplici victu: non in otio, ſed labore? non in luxu, ſed rerum omnium parſimonia : non in temeritate, & audacia, ſed modeſtia, & verecundia: non in licentia, ſed timore: non in luſibus, & iocis, ſed in diſciplinis ingenuis primam illam, ac teneram ætatem ab omni labe intactam traduxit. Hinc toto vitæ decurſu (ſpacio XVII. annorũ ille continetur) iuuenis ſenibus, tyro veteranis, antiquæ illius innocentiæ, continentiæ, tolerantiæ, obedientiæ, grauitatis, & omnium deniq; virtutum exemplum extitit. Videlicet arduum ad virtutẽ, & gloriam iter ſemel ingreſſus, nunquam vllum temporis punctum, mentis aciem ab hoc fine deflexit.

- Adeò à teneris aſſueſcere multùm eſt;

& ceu in ſemente ſpes meſſis poſita eſt : ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pendet. Sed hæc ſileo.

Vocat

Vocat me Christophorus meus ad maximè sibi propria, Et quidem Auditores, memoriam, & ingenium eius suspicor, & vehementer admiror. Enimuero illa ad rerum grauissimarum, & variarum perceptionem in eo singularis: istud in omnia validum, ad omnes disciplinas docile, & ita factum, vt quæ discebat, non accipere à docentibus, ipse ex se parere, & eorum reminisci quodammodo ex illa vetere sententia Platonis videretur. Rem certè dico Auditores mei, supra rem; sed rem tamen veram. Annos natus non amplius decem in Comitiolis Minscen. in maxima frequentia illustrium & nobilium virorum, in deliberationibus publicis verba fecit. Deum immortalem quãtas in illa ætate, quæ nihil cogitare, nihil loqui, nisi leue, ac ludicrum solet, inusitatæ cuiusdam, & inauditæ prudentiæ significationes dedit! Incredibile dictu. Sapientissimorum senum puerulus sententias anteuertit: quæq; illi dicturi erant prior ipse protulit. ô inauditas ingenij vires! ô celeritatem mentis eximiam! In tanta annorum immaturitate, tanta mentis, & consilij maturitas, Illustrissimo Duci Ioanni Radiuilo à poculis Magni Ducatus Lituaniæ, cæterisq; nobilissimis viris, diuinũ potius quoddam, quàm humanum videbatur. Scilicet quos summus ille rerum omnium arbiter Deus non vult hîc perennare, in eis plerumq; virtus non expectat annos. Neq; verò naturã optimã, & solum illud ingenij fertile rubigine inficimiuit: certe complexus illa studia, à quibus facilis est in omnes dignitates decursus, acriter exercuit; & totum illud adolescentiæ tempus, cui communi hominum consuetudine, atq; tacita ipsius naturæ lege, maior licentia tribui solet,

 in la-

in labore animiq; cultu honestè, & libenter consumpsit. Frequens in ore ipsius illud Euripidis :

Labor gloriæ parens.

Frequens illud Musonij: Iuuenis qui laborem, & contentionem refugit, seipsum bonis rebus omnibus indignum ostendit. Nec iniuria. Dignitas plerumq;, & splendor ab isto campo; nec eruditio, aut virtus sine contentione, & labore influit. Hinc literas ita adamauit, vt studio intentum, ac Chrysippum quempiam frequenter cibi potionisq; obliuio ceperit: ita in eis constanter perstitit, vt id vnum, à cæteris negocijs diuerticulum perpetuò habuerit. Nulla eum difficultas ab instituto cursu, nullum otium ad animi remissionem, nullus deniq; somnus ad quietem reuocauit. Sensit cum Platone, dormientem hominem nulla penitus re dignum : Vehementer doluit cum Demosthene (oculatus testis dico) si quando opificum antelucana victus esset industria. Cupidinem videlicet veræ virtutis, & gloriæ, ingenerat visa toties aliena gloria, ac virtus; & sapiētia, quâ non est alia possessio preciosior, ardentes in animis nostris amores sui excitat. Quid hîc? non in artibus duntaxat mansuetioribus, nimirum Poetica, Oratoria, Historia, & similibus incredibiles fecit profectus; verùm etiam mirabiliter

- quæ natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
- Magni primordia mundi,
Et rerum causas, et quid natura sciebat.
Quid Deus, vnde niues, quæ fulminis esset origo,
Iuppiter, an venti discussa nube tonarent.

Quid

Quid quateret terras, quâ sidera lege mearent.

Acutus fuit in cognitione rerum, & explicatione naturæ: solers in vita, & moribus conformandis: subtilis in disserendo, & quid verum, quid falsum sit, iudicando. Multa ille sæpenumerò mecum doctè, multa acutè, multa subtiliter & sapienter; & ferè dixerim omnia in iudicio, & pondere. Quid mecum? vel summis Philosophis quærendo, & aliter sentiendo negocium multoties exhibuit. Egregiũ sanè Lublini apud nobilissimos & doctissimos viros Tribunalitij principes iudicij, anno superiori, ingenij doctrinæq; specimen, & perpetuum sui desiderium reliquit. Fortunatum illud mihi tempus, cum ego vestris, Illustrissime Georgi dux Czartoriscen. Reuerendi admodum Rzerzynsci Cracouien. Lipsci Wladislauien. Canonici, nobilissime Boratinsci insigne militiæ decus (cæteros non memoro) ob Christophori mei præstantes ingenij dotes, & raram in ea ætate doctrinam manibus propemodum gestabar. vbiq; (vt rectè Menander)

Beata rès est bonitas per Mineruam.

Iam hîc Vilnæ vbi sapientia altas fixit radices, in publicis concertationibus (nota vobis nota plerisq; refero Auditores) frequenter illum palæstra Mineruæ, cum omnium applausu, & admiratione; semper tamen sub tegmine & vmbra modestæ virtutis habuit. Omnẽ ætatem modestia decet, & ducit, & sine hac præcipitat iuuentus. Quid ego hîc magnos, & illustres viros, qui Christophorum meum velut numen quoddam terrestre suspicati sunt referam? Te te Illustrissime Comes, & Reuerendissime Domine Francisce Simoneta appello. Magnum apud me, magnum

magnum apud omnes iudicium tuum. magnum tu in meo Christophoro ingenium, & ad magna natum dixisti. Meritò sane. illud Siculi vatis in eum conuenit:

- Stirps sacra Gratiarum.

Addo, & Musarum. Etenim ad naturam eximiam, atque illustrem adiunxit rationem, confirmationemque doctrinæ, & ideo quid præclarũ, & singulare in eo elucere visum est. Nam *Doctrina vires promouet insitas,*

Rectiq; cultus pectora roborant.

Breui, si per fata licuisset, inter eos qui rem, non speciem habent in doctrina, fuisset, ostendissetque quantùm intersit inter doctos cultosque nobiles, & istos qui nihil lucis habẽt nisi à luce maiorum. Magnus in eo ardor discendi, magnus amor sciendi, Solonem accepimus morti proximũ, assidentes amicos de re quapiam, ne ipsi molestiam parerent submissè disputantes, rogasse, vt aliquãtò clariùs loquerentur. nimirum vir sapientissimus sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum è vita iucundiorem fore cẽsuit. Quid noster Christophorus? ne mori quidem, nisi discendo voluerit. Etenim morti vicinissimus librorum suppellectilem ad se comportari iussit, & erecto fortiter (non enim eum robur, & vigor sensuum, vsque ad extremum destituit) semimortuo capite, summa cum delectatione reuoluit, præcipuè Herodotum, identidem suas eum compellans delicias. O incredibilis sciendi cupiditas! Grauissima vi morbi defixus in lecto morti iamiam proximus doctrinæ cognitionisque studium indicauit. Tanta est cupiditas scientiæ, vt quantò quisque perceperit plurimum, tantò auidiùs eam concupiscat. At nec in doctrina so-

nã solùm perrexit, sed multò magis in virtute. Scilicet sine hac censuit non dicam famam vllam sibi esse posse, sed vitam. Literulæ enim,& aliæ elegantiæ siue cultus ingeniorum vacui ab ista, sordes sunt, & mera deliramenta. Nautis solitarium Helenæ sidus non placet: Gemini illi sunt qui cùm apparuêre tranquillitatem nunciant: homini doctrina, & virtus si iungat; doctrina siquidem animos virtuti purgat, virtus doctrinæ robur dat, ad cognitionemq; sui, & Deum, in quo omnis felicitas, ducit. Virtutem ego hîc in duos velut ramos diuido Pietatem, & Probitatem. Vtram harum Auditores mei in Christophoro meo desideratis? Pietatemné quæ in virtutibus caput est? Rectus illi semper de Deo sensus, rectus in Deum cultus. Sanctissimam Triadem Deum verum, Deum patrium, quem à maioribus accepit, candidè coluit, & diligenter retinuit, Seriò in vno Deo,& Filio eius Christo, qui nos benignè redemit, liberauit, spem omnem positam humanæ salutis sciuit, & sensit; illicq; in animo, & ex animo preces, laudes, grates concepit: & hæc eadem per ritus,& gestus exprompsit. Venerationem eius in Diuos memorem? Nomen & grata memoria Sanctissimæ Virginis Deiparæ in medullis, & visceribus ei hærebat: hanc interdiu, hanc noctu ad quietem compositus tutelarem, & matrem suam indulgentissimam appellabat. Taceo reliqua. postquam aduertit.

Qualibus in tenebris vita est, quantisq; periclis.

In Sacratissimo Rosario,& Sanctissimo Sodalitio Beatissimæ Virginis, adiungo, & Societate Diuæ Annæ, hoc æ-

ui quod-

ui quodcunq; fuit religiosissimè vixit. Nunquam enim vllum diem, quoties licuit, abire passus est, quo non rei diuinæ submissè & reuerenter interesset; præterea frequens illi, & diligens, næuorum animi expiatio: frequens atque feruens Diuinorum Mysteriorum perceptio. Iam quid illi molestius? quid acerbius? quàm quippiam contra sanctissimam religionem Catholicam audire? Generosi sanguinis adolescens virulentissimā hæresis fœdissimæ Hydram apprimè detestabatur, & articulatim se priùs concidi, ac comminui protestabatur, quàm à recta regula patriæ, & auitæ religionis abduci. Omnia bona sciuit ex ea fluere: eâ neglecta collabi, ac concidere omnia. Agè verò probitas quanta in eo? Quid in patriam (vt hinc ordiar) charitatem eius loquar?

Monstrârunt terris hunc tantùm fata.

Sensisses patria amorem eius sensisses, si Deo visum fuisset: Virtus ipsius breui maturitatem assecuta, si per nigrā illam Diuam, quæ homines præsertim quibus indoles melior, & ingenium supra annos, vt improuisus vortex nauim absorbet, licuisset, vberrimos tibi fructus attulisset. Natum ille se virtuti, non desidiæ: dignitati, non voluptati: patriæ, ciuibus suis potiùs, quàm sibi prædicabat. Paucis diebus antequam à nobis è corporis carcere ad locū.

Fortunatorum nemorum sedesq; beatas

euolasset, ex ipso, vt solebam familiariter, num sibi mortem molestam fore duceret, inquisiui: Ego verò (inquit) mortem quæ finis est huius miseriæ, & principium melioris vitæ exhorrescam? Molestum mihi, fateor, non potuisse me de sanctissima religione, atq; suauissima patria bene me-

ne mereri: vt Luna quod luminis à Sole accipit, infero huic mundo refundit; sic libens ego dona, quæ à benigno illo Deo: Diuinæ tamen eius voluntati acquiesco. Viuere me vult? volo. Mori? non nolo. Finis, & initium nostri ab illo sunt. Quid querimur si nos fingit, & refingit Magnus ille Figulus? O dignissimum adolescentem hac vita, nisi meliorem ei Deus destinasset. Reuerentiâ porro erga parentes, eorumq; præceptis obtemperatione (hæc laus in filijs præcipua est) ita præstitit, vt semper meliori sapientissimorum parentũ iudicio se submiserit; nec vnquam omnino voluntas eius à consilio, & monitis eorum discrepârit. Pulchrè Euripides: Quisquis in vita sua parentes colit, Deo carus est. Quid? In fratres quantus quamq; se omni ex parte prodens amor? Vidi, & noui semper aliàs, sed potissimùm, dum abiturus à nobis vltimùm illis valedicit, hæret in amplexu, dissuauiatur, omnia bona animatùs cupit. Libet hic testamenti prudenter ab illo nobis relicti particulam inserere. Fratres mei amantissimi vobis quid relinquam? Deum colitote ipsi cum timore, & tremore seruitote: parẽtes honoratote, & omnia ipsis debetote: præceptoribus obeditote, illosq; amatote: si in viros creueritis patriæ, & Reipub. seruitote: vicia declinatote; sin secus, opto à Deo meo, vt me citissimè comitemini. Quid plura? Iam fratres mei valete, valete, crescite, viuite concorditer in Ecclesiæ Catholicæ, vestrum, & patriæ bonum. Dolete Illustres & generosi pueri, fratrem, verè fratrem amisistis. Dolete cognati, & propinqui, columen amplissimæ gentis vestræ perdidistis. Singularis illi amor semper, singularis in vos obseruantia;

etiam

etiam ſuprema voluntas eius, quid vobis velit, quid cupiat, teſtis eſt. Nobis præceptoribus (ah Deus bone) quis doloris? quis lacrymarum modus? Cui ille vnquam ex nobis aliquando negocium faceſsiuit? Nonnè quantum ille ex nobis beneuolentiæ, tantum nos ex illo voluptatis cepimus? Magna virtus, magnum bonum in adoleſcente eſt obedientia, in Chriſtophoro meo præcipuum, & ſingulare. Nihil vnquam temerè aut arroganter dixit, vel geſsit: ſemper optimis, & amantiſsimis conſilijs noſtris aures patefecit; nec minùs præceptores, quàm parentes dilexit; identidem repetens, hos corporis: illos, animi curam ſuſcipere. Quid mihi linguam, quid mentem ſuauiſſime Chriſtophore inhibes? Ego ſane hæc taceam deuinctus amore tuo? Ingratiſsimus ſim, & dignus cui vel frons exemplo Macedonici illius militis inuratur. Ex fide dico, ſi benignum Numen mihi vitam dat.

Sublimi feries ſidera vertice.

Mira tua in me fides, mirus amor, mira pietas. Pylades, Euryalus, quin & Theſeus mihi fuiſti. Amoris mei fruticem amanter eduxiſti: amanter aluiſti, fouiſti. Nulla tibi abſq; me: nulla mihi abſq; te horula. Plures mihi ad amorem, & æſtimium tui cauſæ. Doctrina, dignitas, virtus, & ante omnia amor, & humanitas, quâ traxiſti, & me tibi adamãtino quodam vinculo nexuiſti. Sed heu auida Parca abrumpere vincula inter nos ſanctiſsimi amoris non parſit. Viuo ego: te (me miſerum) exanguem inſpicio. Pollux pro Caſtore (ſi Poëtis credimus) alternis moritur diebus.

Fata ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo.

libens

libens libens morte mea, tuam redimo mortem. Non magis te amaui viuum, quàm verè viuum amo, amabo. A te scilicet

Me nec Chimærae spiritus igneæ
Diuellet vnquam:

nec alia vis laxabit. Verùm quid ego hæc? Apud me maneo; *-- nec æternis minorem*
Consilijs animum fatigo.

Reuera enim id à supremo Deo, & fato est, cui quis nostrum præcludet iter cum ipsius prima lex sit Stare decreto? Reliquas in eo contueamur virtutes. Et sanè Auditores Christophorus meus magnitudine animi ea fuit, vt in omni vita, in omni fortuna æquabilis extiterit: æquam in rebus arduis seruauerit mentem:

-- Non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia.

Candor autem, & constantia eius in amicos ea, quam nulla temporum asperitas potuit labefactare, aut imminuere. Comitas, atque humanitas in omnes supra fidem singularis. in pauperes, & egentes incredibilis munificentia; nunquam vacuos & tristes à se dimisit. Frequenter aduerti eum de cibo & potu sibi subtraxisse, egenis dedisse. Age dum *-- Cui pudor, et iustitiæ soror*
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando vllum inuenient parem?

Quid puritatem vitæ & continentiam eius? ego satis efferre possum? Vlysseum eloquentiæ flumen mihi optarem.

Integer vitæ scelerisque purus.

non

non Circes pocula gustauit. Moly Homeri contra ea vsus est. Corpus namq; tametsi animo obsequentissimum haberet, nunquam indulgentiùs tractauit: certè tenerrimos artus feruente precum studio, inedia, flagris afflixit; atq; ita semper Iasonis exemplo contra cantus Acheloidum, id est voluptatum, iuuentutem à recto tramite abducentium, & in vada, ac scopulos deferentium, immotus stetit: & verò ex ore eius nihil insolentius, nihil indecentius prodijt: ampliùs si quid inhonestius audiuerit, rubore suffusus

Improuisum aspris veluti qui sentibus anguem
Preßit humi nitens, trepiduś; repente refugit.

Hic tamen innocentissimus adolescens Auditores nobilissimi, illius teterrimæ Diuæ quæ apud viles, & contemptos sedem posuit regni (calumniam innuo, cui parentes mendacium, & inuidia: nutrix curiositas) atrox virus sensit. In omnem ætatem, sexum, ordinem hæc calamitas publica, & Phaëton quidam, vt sic dicam, orbis terræ debacchatur. Quis tam felix, aut sapiens, qui iactet ab ea esse liber? Paratum strictumq; dentem in omnes habet; sed tamen in eos maximè, qui magni. Cognouit hoc ipsum Christophorus meus, & modestissimè (nullius enim rei faciliùs quàm iniuriarum obliuiscebatur) sustinuit. Bonus, & animosus miles leuia, & circum galeas crepitantia tela contemnit: ille dicteria. Quid enim tollunt? Famam? Bona ea semper apud bonos. Vt ignis in aquam coniectus continuò restinguitur; sic falsum crimen in castam vitam. Improbos qui ita faciunt, non solùm inuidos. Nihil eos moneo, voueo, & imprecor cum Dauide potiùs, muta fieri labia

ri labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum. Teste Deo meo, qui abdita mentium, & pectoris fibras rimatur, dico. puritatem, & integritatem vitæ magnopere ille adamauit. Sic Auditores mei, ab omni virtute non abijt, à modestia minimè, quæ omnes eius dotes alias commendat, & per quam verè fuit quod Pòeta dicit de suo Mercurio:

Superis Deorum
Gratus, et imis.

In alto positum non alta sapere difficile est: certè difficile, & magnæ felicitatis, à felicitate non vinci. Quicquid enim leue, & inane in animo est, secunda se aura sustollit. Profectò Christophorus meus antiqua illustri, & felici natus familia, ab omni fastu, & arrogantia alienus, nihil vnquam neq; insolens, neq; gloriosum protulit. Summis dignitate, infimis facilitate par semper est visus. neminem contempsit; nemini etiam infimæ sortis se præposuit. cauit prudenter, & monito Poëtæ fortunam reuerenter habuit. Nouerat cuncta mortalium incerta: nouerat caduca hæc, & fragilia puerilibusq; consentanea crepundijs, quæ vires, atq; opes humanæ vocantur: nouerat magnas arbores diu crescere, vnâ horâ extirpari.

Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

Hinc etiam sermo ei paucus, grauis, serius, prudens: & cultus corporis non exuberans. Multò pulchrius est animũ præferre cultum, quàm corporis vestem. Vela contraho. Vidimus eum mansuetum, nulli irasci potuit, quin & nesciuit. Vidimus iustum, integrum, abstinentem, amantem pacis, & concordiæ, veracem, apertum, simplicem, ad aliorum potiùs peccata quàm ad sua conniuentem. Mores

 demum

demum eius amabiles, & vt Poëtæ loquuntur, aureos non melius quàm Poëtæ verbis descripserim:

Fronte grauis sæuusq́ decor, tranquillaq́ morum
Temperies.

Vulgò delicias eum nostras vocitabamus, & non hominē, sed terrestre quoddam numen putabamus. nimirum in corpore iuuenili seniles mores, senilem prudentiam gessit, & à recto virtutis tramite non recesit. Non est hoc cuiusuis mihi credite Auditores

Angustum collem, tenuis quò semita ducit
Ipsa colit virtus.

munitum pectus habeat oportet, quisquis hunc ramum aureum decerpere in votis habet. Atq; hisce dotibus Auditores nobilissimi, in vere ætatis, Christophorus meus, dulciter suæ virtutis, & doctrinæ fecit sementem: in æstate expectabamus fructum. indoles eius ingeniumq; ad alta ipsum vocabant. sed

Ludit in humanis diuina potentia rebus.
Nil sibi quisquam spondere potest.
Firmum et stabile.

Terra nempe nobis non pro domicilio, pro diuersorio data: hæc quæ vita dicitur, non tam vita est, quàm iter ad vitam: in cœlo, non in terra nobis spes est figenda. Ecce tibi cum summam de eo expectationem concipimus, & vberem præstolamur messem, lentus, at inauditus omnēq; fallens nostram industriam morbus in eum incurrit. Vidi hic Auditores mei grauissimorum, & clarissimorum virorum amorem in Christophorum meum, vidi dolorem inopinato ipsius casu conceptum, Vidi tuum Illustrissime

Dux

Dux Nicolae Christophore Radiuile Palatine Vilnen. omnium virtutum, & prudentiæ absolutissimum exemplar, cum toties languentem adire, vimq; morbi amantissimo alloquio imminuere subijsti. Vidi omnis ætatis, sexus, ordinis pro eo ex animo preces, & vota concepta. Sed enim *Stat sua cuiq; dies.* non Christophoro meo alius postea morbi, quàm vitæ finis. Series malorum, quæ hic perpessus est, ipsum pectus mihi grauiter commouet. obstupeo, & exhorresco, cum mihi acerbum illud tempus in mentem reuenit: incredibili tamen quadam fortitudine & constantia fuisse munitum, necessum est, confitear. Spectatæ virtutis adolescēs vitam laudabiliter actam laudabili fine clausit. Non eum aut doloris acerbitas, & diuturnitas, aut metus mortis de gradu quiuit deijcere. Vltra nouem menses tantam vim doloris, & quidem varij, & diuersi sustinuit; quanta maxima in hominem cadere potest; nunquam tamen vllam vocem parùm se dignam emisit: illud in ore eius: Domine recta iudicia tua, plura mereor, plura adde, atq; hîc vre, hîc seca. generosa, & Herculea hæc ad cœlum via est per æstum, & per ignem. Alta ille semper cogitabat Auditores alta, id est cœlum; quò se languores perpetui ducebant, non enim trahebant. Quid mortem sibi iam certā num exhorruit? Deus bone quàm suauiter inexterritus mecum de ea, innuens eam transitum ad ueram vitam. Bona mors, Auditores, est initium vitæ perennis: hæc quippe quam hic viuimus, est velut auicula, quæ pueri manu tenetur, & sæpius in ipsis primordijs euolat. Aduertimus IV. Idus Octobr. ineuitabilem ei ex hac vita migrandi necessita-

cessitatem. Optimus nimirum Deus, optimos quosq; traducit ad optimam illam vitam. qui tum plangor, quæ lamentationes nostræ! diuersis, non diuersus diuersa suggerebat dolor. Ipse vnus interritus æquissimo animo me aduocat, & in hæc verba alloquitur. Quid tibi mi præceptor suauissime ploratio? quid lacrymæ? Bona fide ego me ire sentio ad metam, & libenter illum diem expecto quo Deus me hoc corpore, imò carcere soluet. Quid mali aut noui? Non magis mirum aut nouum mori hominem, quàm nasci. Perfer, & obdura. optimũ est pati quod emendare non possis.

Diuésne prisco natus ab Inacho
Nihil interest, pauper an infima
De gente.

Mors omninm æquatrix,

Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus.

timido, & forti cadendum est. Ignaui animi ad primum ictum concidunt, tu ostende aliquid in te esse altioris auræ, & contra leuia hæc doloris arma, arripe vera. Inspice hominem, vitam, mortem, fatum; placabis etiam implacabilem dolorem. Quid est homo? Lutum, vt quidam ait, scite mixtum, vel vt alter; vmbræ somnium. paulisper hîc sumus; nec quicquam firmi, nisi in firmo illo loco. Quid vita quam eripi lugemus? Peregrinatio, ludibriorũ scæna, miseriarum mare, hæmina vna sanguinis, quam quilibet leuis casus rumpit, quælibet febricula corrumpit. Quid mors? requies, gaudium, & vera vita; aut si quid in ea mali, malis tantùm. Iam deniq; fatum quid? Æterna ab æterno

ab æterno in æternum Dei lex. Morior ego. Lex ita lata. Caue pugnes cum necessitate, aut queraris. A Deo est, culpare non potes aliquid malum, aut acerbum in eo, & ab eo qui bonitas, & benignitas est totus. Quin addo. Cœlum mihi vera germanaq; est patria, & hinc ego dissolui præceptor suauissime, dissolui cupio, & esse cum Christo. At enim immaturus & in flore ineuntis adolescentiæ abeo. Fateor; sed vitæ huius tàm satur quàm Priamus aliquis, aut Nestor. Annos computa. satis vixi. nihil hic diuturnũ. quicunq; ad extremum sui fati venerit, moritur senex. Famam. satis.

Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur sibi.

Voluptatem, & molestias. illam gustaui : his verò sum abundè satur. Ergo

Cur non, vt vitæ plenus conuiua, recedam?

Non est, non est profectò, quod me in hoc seculo teneat, aut delectet. plus fellis quàm mellis est in rebus humanis. Publica video? pessimè habent. Priuata? etiam in ijs suæ cruces, & mœror, vt ait Homerus, subit è mœrore, quem tamen ego meritò fero, quamdiu Deo, in quo vno requies, visum, qui me explorat, & expurgat per hunc ignem. Et mehercle ego ad mortem immaturus? ad mortem maturi omnes sumus postquam nati; imò etiam antequam nati.

Quàm multos vitæ exortes, et ab vbere raptos
Abstulit atra dies!

Quàm multis in ipso vtero, vix bene infuso spiritu, spiritus est ereptus! Multos habet magnus ille mundani horti cul-

ti cultor flores, herbas, fructus, ſcit quando hunc, & illum opus ſit tollere, in ipſa opportunitate, & vigore, quemq; in ſuum vſũ. Quin ſcito, nihil ab eo niſi tempeſtiuè, niſi vtiliter, & ex ſalute noſtra fieri. Scilicet ille nobis ad perniciem indulget. non ſolùm Deus eſt, qui ita de nobis ſtatuit; ſed & pater pientiſsimus, cui nos magnæ curæ, & amori. Video quid te vel maximè torqueat, durum tibi videtur à conſuetudine, & conſpectu meo familiari diuelli; cum & ego largiter amorem tuum nouerim, & tu animũ meum, in quo acris flamma, ſed per nullam occaſionem erumpendi adhuc clauſa. Ne ingemiſce

Prima quæ vitam dedit hora, carpſit.

Ibimus omnes, ibimus; nec ſeiungimur, ſed leuiter alter alterum anteimus. Quos hîc amor coniunxit, mors, veriùs dicam tranſitus ad vitam non ſeparabit. Non amorem mei abſentis præceptor ſuauiſsime requires, aut fidem. breui me videbis, & ſuauiabere, vt mihi mentem Deus inijcit: & ego inſtabo votis; tu modò agè quæ caritas, & amor tuus in me eſt, amare imò, & curare me perge. Hæc fatus ſacramenta, quibus morituri præmuniri, & Deo reconciliari ſolent, omnia religioſiſsimè popoſcit. atq; ita peccata vniuerſæ vitæ prudenti, & pio Sacerdoti, dolenter, & ex animo confeſſus: Sacro oleo reuerenter, placidè, & patienter perunctus, poſtridie Sacroſanctum & auguſtiſsimum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus, magna cum animi ſubmiſsione, lacrymis, & diuinæ maieſtatis veneratione ſuſcepit. Quis hîc pietatis, & religionis eius in Deum certiſsima, ac luculentiſsima teſtimonia? quis animi verè Chriſtiani ſignificationes, & affectus percenſebit?

Nobis

Nobis inſpectantibus, & lacrymantibus

Obſtupuêre animi.

Verè hîc omnem ſalutis ſpem in diuina bonitate, & miſericordia ſibi conſtitutã oſtendit. nihil in ore eius, niſi dulciſsimum nomen Ieſu, aut Sacratiſsimæ Virginis Mariæ, & aliorum Diuorum, à quibus auxilium expoſcebat. Vidi Auditores mei, & hiſce auribus audiui, grauiter illum dolere triſte huius vitæ exilium: ægrè pati omnia, quæ animum è corporis ergaſtulo euolare cupientem remorantur: cupiditate Dei fruendi, & patriæ cœleſtis vehementer ardere: calidè à Chriſto Seruatore precibus inſtare, vt ſe ex his prauis, turbidis, triſtibus, tranſueheret ad meliora, puriora, lætiora. Sic eius

Mens deſiderijs icta fidelibus.

ad beatum portum, & vitam in qua gaudiorum, nec modum vllum eſſe ſcimus, nec finem, auebat. Neq; inane fuit adoleſcentis integerrimi votum. Cum dies aliquot nobiſcum hæſit, XIII Calend. Nouembr. qui eſt ſacer Tranſlationi D. Adalberti, me (liceat dicere) exoſculatus, ſuumq; in me voce iam moribunda teſtatus amorẽ, atq; Ieſu Chriſti è cruce pendentis imaginẽ magna diuini amoris ſignificatione frequentiùs diſſuauiatus, cœlum ſuſpiciens, Diuorumq;, & Sanctiſsimæ Virginis Mariæ apud Filium implorans opem, inter hæc verba: Noui, noui fallaciã mundi, miſerere mei Domine Ieſu, miſerere mei, tuum de me ſtatue placitum, & reſolue me: rurſum: In manus tuas Domine Ieſu ſpiritum meum commendo: demum: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum, cum incredibili omniũ noſtrum, qui aderamus dolore, & fletu, extremum Deo

 ſpiritum

ſpiritum placidiſsimè reddidit, & nos in hocce ſquallido luctu reliquit. Ah me infelicem. Secius res cecidit, quàm oportuit. Breuem hanc virtutum ipſius commemorationem mihi leuationi fore exiſtimâram, dolorem dolore cumulauit. Etenim Auditores mei, eum qui reuera fuit

Troica dignus
Secula, et Euboici tranſcendere pulueris annos,

& in quo omnia propemodum ſumma, perdidimus. Genus eius intuemur? Nobiliſsimus eſt. Famam? clariſsimus. Ingenium, induſtriam, mores? præſtantiſsimus. Magnitudinem animi, rarumq; eloquij decus? excellentiſsimus. Virtutem, atq; doctrinam? vtraq; maximus. Perdidimus fulcrum religionis iam iam proximum, ſplendorem, atq; præſidium patriæ perdidimus. Heus Chriſtophore ſuauiſsime ſiccine cecidiſti? ſiccine floſcule fragrantiſsime exaruiſti? Hic virtutis honos?

Huc tua te præſtans animi conſtantia vexit?

O mortem inuiſam mortem malignam! Nihil eam ætatis, nihil ordinis, nihil dignitatis, nihil rari ingenij, & virtutis miſertum eſt. Vbi Chriſtophore mi tua

-- Forma nitens niueaq; in fronte ſerenus
Ille decor, dulciſq; oculorum aſpectus, et altæ
Sidereus ceruicis honos?

Hęccine illa pietas, afflictę toties promiſſa patrię? hęc lux tuorum? hæc quies mea, & finis laborum? Nimirum vtrãque Rempub. ſacram, & prophanam ſuffulcire: ampliſsimæ, & antiquiſsimæ gentis tuæ lucem augere: nobis ſplẽdorem communicare debuiſti; tu vero omnis ſpei tuæ, & noſtræ, in ipſo ætatis flore naufragium feciſti, atq; adeò ipſius

ipſius vitæ. Iaces Chriſtophore mi, iaces exanimis,

-- iacet miſerandum, et flebile corpus.

Jam mutum eſt ſine voce caput.

O acerbam nobis illius diei memoriam, quo diuulſus à nobis virens ſurculus ex quo fructum expectabamus. Hem quàm fallaces ſunt hominum ſpes, & deſtinationes! Quò abijſti? quò raptus es mi Chriſtophore? Hæc fides, hic tuus in me amor? Multùm apud me grauiſsima febri laborantem; & penè iam moribundum, tui interdiu, noctuq; mihi aſsidentis, & ſpe vitæ me conſolantis potuerunt lacrymæ. ecce infeliciter viuo; tu me in caſſum flere pateris? Repeto, repeto abs te pietatem, redde quam debes. reuiuiſce, & ſi mori aliquem opus, ſquallidum hoc pro te, atq; miſerum caput deuoueo. Verus in te mihi amor. tuus ego viuus, mortuuſq;. mente hac teſtor, Magnus audiat Deus. Verùm quid voces, aut lamenta ſpargo? Fata curſum ſuum peragant. Recalcitrem, cum ſim homo, Deo? Prouidentiæ hoc decretum. Summum bonum fecit, bene fecit, bene ſtatuit; & in noſtrum, ac Chriſtophori noſtri vſum. Certè quidem in Chriſtophori palam. optimè cum illo actum. Guſtauit è duplici dolio, quod hic ſupremus Sympoſiarcha nobis miſcet. tricæ, & ſpinæ omnis hæc vita, & falleris quiſquis in ea quæris gaudiorum flores, guſtauit inquam, & obijt. Obijt? A vinculis, ad libertatem iuit. Obijt? A curis, & angoribus, ad quietem, & gaudia vti confidimus, & cupimus. Obijt? Abſoluit iter, decurrit ſtadium, palmam, & coronam habet. Beatum eum inter beatos pietas in Deum, vitæ integritas, & candor ſpondent.

Nunquam Stygias fertur ad vndas,
Inclyta virtus; sed
Cœlum recludit immeritis mori.

Apagè lacrymas, ridet Christophorus noster luctum nostrum, sed & miseratur, & pro nobis (spes firma me habet) vti pollicitus est, vota concipit. Graue est non nescio, aut nego, adolescente, (ex fide, & vero dico) ab aureo æuo priuari: at lex communis est, omnis hora, omne momentum, omnes ad metam hanc ducit. Et certè ecce nobis Deus benignus, alteros ex hac feracissima planta seruat ramos, habemus in quibus spes reclinemus, & solatium in hoc luctu petamus. Bene fundata hæc amplissima domus est, rarescere potest: extingui (nisi inopinabili aliquo fato) non potest. ad hos illustres, & optimæ indolis pueros, qui supersunt, ab illo quem Deus & cœlum habent, oculos mittamus. Christe Iesu

Gentis humanæ pater, atq; custos.

per illam mortem ignominiæ plenam, quam pro nobis in cruce sponte subijsti, Christophoro tuo, quem ex his turbidis ad te traxisti, coronam iustitiæ quam diligentibus te promisisti tribue: hos autem illustres, & virescentes surculos, quos nobis in hac vili terra reliquisti, fac crescere, & adolescere, in Ecclesiæ, & patriæ vsum. Voueo, & acclamo. DIXI.

Ad Lectorem

Ad Lectorem.

Qvisquis es Lector beneuole, epistolas aliquot Illustris & M. Christophori Pacz Palatinidæ Minscen. discipuli mei suauissimi adscriptas vides. velim hoc sine accipias. Oratiunculam in eius commendationem dixi. Ex fide dico, nihil temerè in ea. Dicere talia pietas me iussit: addere, aut detrahere religio non permisit. Ab ipsiusmet verbis, & mente, mihi pondus esto, & tu æquus arbiter. Inspice, & lege.

Epistola I. Lublinum,

Christophorus Pacz Illustri et Magnif. D. Ioanni Pacz Palat. Minscen. parenti suauissimo.

EGO hîc Illustris, & Magnifice D. & parens suauissime morior, & viuo, affligor mœrore, lancinor morbo. cœlestem opto Apollinem, aut Aesculapium qui mihi salutem det; & fiet quidem illa mihi, si ille volet, qui super nos vult, & potest omnia. At dum paulisper me exercet non abeo, ad vana, aut externa solatia. Animo indui rerum quæcunque homini aliunde accidunt, aut incidunt voluntariã, & sinè querela perpesionem; & cui hæc radix constantiam. Scilicet hæc est sola illa Helena, quæ verum illud, legitimumque Nepentes propinat, in quo obliuio dolorum. Hoc semel imbibi. altus contra omnẽ casum, nec vt in lance propendens, aut dependens, magnum mihi illud vendicabo: Non moueri. Nimbi circa me cadant, & fulmina. clamabo vera magnaque voce: Sum medijs tranquillus in vndis. Altũ illud, & arcanum mihi instillo. Cœlum vera mihi, germanaque patria est. Et mehercle quid meus mœror? Hoc ingenium omnibus creatis, vt insita quadam vi ad mutationem ferantur, & casum. Et recentia nobis exempla documento. Subruta lapidea clari viri Vilnen. Pigolcæ, & charam coniugem, & liberos obruit. Dexter & strenuus Generosus Dominus Lacki vltimum naturæ debitum reddidit. Heu quid aut ipsi sumus? aut omnia in quêis sudamus? Quid est esse aliquem? quid est esse nullum? vmbræ somnium homo, vt verè nimis olim Lyricus vates, At tristia nos premunt. fateor non opprimunt. Et reuera grata tantùm nobis cœlitùs submitti putamus? Imò tristia etiam; nec quicquam in hac grandi machina geritur (peccatum excipio)

cipio) cuius origo non à prima illa causa. Hanc sequamur, & æquum censeamus, vt homini placeat, quicquid placuit Deo. Videlicet huic parêre, ait Seneca, libertas est. Summum ille bonum est, & quæ patimur bona, si remoto opinionis velo, oculos ad ortum illorum referamus, atque finem. Vnde oriuntur? à Deo, qui lædere æque spernit, ac lædi, & cui vna summaque potentia est, Prodesse. et ista ipsa aspera, quę suggerit, aut ingerit, velut medicamenta sunt, sensu tristia: re salubria, & euentu. Finem cupimus? ad bonum diriguntur semper, & salutē. Nimirum tristibus semper Deus, aut bonos exercet, aut lapsos castigat, aut improbos punit, eaque omnia nostro bono. Hæc mihi Illustris, & Magnifice parens, in morbo meo solatium. Quid hîc mecum agatur ex alijs cognosces. Ego me auxilio Dei meliùs valere sentio, & lætiora spero. Numen supremum nobis aspiret feliciori aura, teque incolumem conseruet, & nobis reducat. Vilnæ VIII. Calend. Septem. M. DC. X.

Epistola II. Czartoriscium.

Eidem.

Literis tuis Illustris, & Magnifice D. & parens optime, quarum vnas VI. Idus Septemb. alteras XVIII. Calend. Octobr. accepi, nihil mihi gratius in vita mea. Amorem illæ dicam veriùs flammam amoris ardentem in me spirant. Deo si placet hîc mihi vitam cupis; sin minùs, perennem. O affectus! Felix commutatio. amplector verbum. viuo si Numen benignum dat; libentius morior. Video quid boni in morte sit. Mali in bonum permutatio. Scripsi proximis: Cœlum mihi propria, germanaque patria est, ad hanc quî aditus patet nisi me Deus hac corporis custodia liberauerit? Non satis vixi.

Beatus ille quem iuuentæ in limine
Abstrahit à vitijs ipse, & sibi adstringit Deus.

Et certè pello ego istas ineptias penè aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? Natura dedit vsuram vitæ, nulla præstituta die, repetit cum vult. Sed ecce mortuus (ita parens optime scribis) viuo, & quidem meliùs suauiusque. Deo meo, cui me totum deuoui, curæ mea vita. hic eam mihi indies impertit beatiorem, cura & diligentia medicorum, & charissimi, diligentissimique præceptoris mei. Huic mehercle si viuo, multùm debeo, dies ille noctesque propter me insom-

me insomnes ducit, & medicos (quin & ipse munia eorum obit) diligentes, ac strenuos facit in opere. Deus ter, Opt. Max. te nobis diu saluum seruet. Vilnæ XVII. Calend. Octobr. M. DC. X.

Epistola III. Pultouiam.

Christophorus Pacz Ioanni Gruzewski Præsb. Soc. Iesu amicißimam S.

SIlui, & silentium meum non ab obliuione tui. Verè dico, amorē tuum in me R. P. mihi suauissime purum, & singularem effusè noui. Flumina citiùs sistas, quàm me amantem redamare vetes. Seu viuo; seu morior semper mecum hæres. Silui á morbo. sed ecce neq; hic mihi silentium perpetuum. scribo, amoremq; meum in te testor æternum esse. Quid hîc mihi sit auidè inquiris. Bibo illud vetus poculum mœrorum; & quidem sapidè. A Deo est: nec temerè illud mihi cœlestis medicus propinat. Duris ille, & tristibus nos exercet ad virtutem in hoc Gymnasio, nec vnquam nobis ad perniciem indulget. Et sanè ego solus felix, stabilis, & firmus? Æterna lex à principio dicta omnibus creatis, nasci, denasci, oriri, aboriri; nec quicquā stabile, aut firmum arbiter ille rerum voluit, præter ipsum. Sic omnia verti cernimus: & nulla vis humana, vel virtus meruisse vnquā potuit, vt, quod præscripsit fatalis ordo, non fiat. Fulsêre mihi mei soles: nox paulisper nunc sit, redibit rursum (spes me bona habet) imò iam videtur redire radiatum illud lumen expectatæ salutis ferè ab Hesperijs, & occasu. Veterno solutus sum, suauiter comedo, placidè dormio, expresśim loquor, & indies omnia meliora, & molliora expecto. Fiet, fiet & mihi sanitas, si Deo visum, quem tu R. P. mihi amantissime votis placa, & me tui amantem ama. Vilnæ Calend. Septembr.

M. DC. X.

Epitaphia

EPITAPHIA

Chriſtophorus Pacz Palati. Minſ.

Viatori.

QVI legis hæc, ſcito. morior ſuper æthera notus
Chriſtophorus. mihi mors vita perennis erit.
Paciadûm duxi genus alto à ſanguine; magna
Et vixi patriæ ſpesq; decusq; meæ.
Sola mihi ſemper virtus in amoribus. alti
Flagraui ſolo totus amore Dei.
Felix ingenio, felix mentiſq; vigore,
Felix & Clarij munere vtroq; Dei:
Inuiſa hæc morti, haud patitur me viuere: Diuæ
Vitæ diſrumpunt aurea fila meæ.
Dulce mori mihi. mors vitæ melioris origo
Eſt. Dubitas? Cœlum, qui bene vixit, habet.
Crede, mori didici, dum vixi. viuo perenne
Æuum. quiſquis aues viuere, diſce mori.

Chriſtophori Pacz Palatinidæ Minſcen.

Tumulus Viatori.

CHriſtophorus alti Paciorum ſanguinis
Germen, ſuæ inclytumq; lumen patriæ,
Virtutis almæ cultor, ingenio potens,
Terras vbi reliquit. extinctum decus
Gens Pacia, Patria lumen amiſſum dolet,
Triſtes Camœnæ, candidis cum Gratijs
Sidus ſuum deſiderant. O mors atrox
Sicné ante tempus floſculum ſuauem ſecans
Tot dotibus, tot ſpebus orbas omnium
Suſpenſa vota: Noſtra ſors flenda eſt. fuit
Eheu fuit. non eſt. Querêris? deſine.
Non perijt ille. viuit æternùm; ex humo
Abiuit, atq; cœlites petijt locos.
Hæc terra ſeruat mentis hoſpitium piæ
Corpuſculum. Mori vereris? viuere
Quouſque viuis diſce Numini, iam abi.